

MARCELLINI  
V. C. COMITIS  
ILLYRICIANI  
CHRONICON

*Multò quàm antea emendatius & auctius.*


Opera IAC. SIRMONDI Societatis  
IESV Prelbyteri.



LVTETIÆ PARISIORVM.  
EX OFFICINA NIVELLIANA.  
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, viã  
Iacobæ, sub Ciconiis.

M. DC. XIX.

*Cum Privilegio Regis Christianissimi*





# LECTORI.



*D*E Chronici huius auctore necessario monendus es, Lector, non omnia Marcellini esse, quae in illo continentur. Testatur enim praefatione sua Marcellinus se opus suum ab initio principis Theodosij, ad Magni usque Consulatum, per annos CXL. perduxisse: tum deinde alios tantum XVI. annos adiecisse, à primo Iustini ad quartum usque Iustiniani Aug. Consulatum, hoc est ad annum Christi DXXXIV. Ultra hunc annum igitur non processerat Marcellianus: nec plura sanè his fuerant in editione Ant. Sconhouij, qui Chronicon hoc in lucem primus dedit. Quae deinceps sequuntur ad finem usque principis Iustiniani, ab alio postea quopiam adiecta sunt, & à Ianuino primum, deinde ab aliis nullo discrimine pro Marcelliniani edita. Nos ex vetustissimo Tiliensi bibliothecae Codice, tum Marcellini omnia multò quàm hactenus emendatiora, tum Appendicem, quae & ipsa peranti qui est scriptoris, multis partibus auctiorem damus: ante gratia

daturū, nisi nos lacertum exemplar in septimo post Basilię Consulatum anno destituisset. Quo factum, ut in reliquis ad finem vsque Panvinianam editionem sequi necesse fuerit, demptis annorum ad calcem epilogis, quos in hoc præmittendos censuimus, quia nihil illos neque ad Marcellini Chronicon, neque ad eius Appendicem pertinere constabat.

---

*Caf. octauus Institutionis diuinarum  
Scripturarum cap. xvii.*

**M**ARCELLINVS etiam quatuor libros temporum qualitatibus, & positionibus locorum pulcherrima proprietate conficiens, iunioris sui tramitem laudabiliter percurrit: quem vobis pariter derelinqui. Chronica verb, que sunt imagines historiarum, breuissimæq; temporum commemoraciones. scripsit Græcè Eusebius, quem transtulit Hieronymus in Latinum, & vsque ad tempora sua deduxit eum. Hunc subsecutus est supra-terinus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patrię Iustiniani fecerit egisse cancellos: sed in hereditatione deuotus à tempore Theodisij principis, vsque ad fores imperij triumphalis Augusti Iustiniani opus suum. Domino iam gratas, perduxit: ut qui oratè fuit in obsequio suo, pro gratas, postea amplius imperio copiosè acerbissimus appareret.

MARCEL-



MARCELLINI  
COMITIS V. C.  
CHRONICON.

---

PRÆFATIO.

**P**ROST mirandum opus,  
quod à mundi fabricavltq;  
in Conſtantinum princi-  
pem Eusebius Caſarien-  
ſis, huius ſæculi originem,  
tempora, annos, regna, virtutesq;  
mortalium, & variarum artium reper-  
tores, omniumq; pene provinciãrum  
monumenta commemorans, Græco e-  
didit ſtylo, noſter Hieronymus cuncta  
tranſtulit in Latium, & vſq; in Va-

lentem Cæsarem Romano adiecit elo-  
 quio. Igitur vterque huius operis au-  
 ctor  $\overline{\text{v}}$ . &  $\text{DLXXIX}$ . annorum hunc  
 mundum tunc fore miro computauit  
 ingenio. Ego verò simplici duntaxat  
 computatione Orientale tantum secu-  
 tus imperium, per indictiones, perque  
 Consules infra scriptos, centum &  $\text{XL}$ .  
 annos, à septima videlicet indictione, &  
 à Consulatu Ausonij & Olybrij (quibus  
 etiam Consulibus Theodosius Magnus  
 creatus est Imperator) enumerans, &  
 vsque in Consulatum Magni indictio-  
 nis vndecimæ colligens, eorundem au-  
 ctorum operi subrogavi: itémque alios  
 $\text{XXVI}$ . annos, à consulatu Iustini Augu-  
 sti primo, vsque in consulatū Iustiniani  
 Augusti  $\text{I v}$ . suffeci: id sunt simul anni  
 $\text{CLVI}$ . & meum rusticum opus supposui.

---

INDICTIONE VII.

*Ausonio & Olybrio Coss.*

**T**HEODOSIVS Hispanus Italicæ  
 diui Traiani ciuitatis, à Gratiano  
 Augusto apud Sirmium  $\text{XXXIX}$ . post  
 Valentis interitum imperator creatus

*Marcellini Chronicon.*

3

est, x i v. Kalendas Februarias, Orientalem duntaxat Remp. rector, vir admodum religiosus, & catholicae ecclesiae propagator, omnibusque Orientalibus principibus praeposendus, nisi quod Marcianum tertium post se principem imitatore habuerit. Alanos, Hunos, Gothos, gentes Scythicas magnis multisque praelis vicit.

IND. VIII. *Gratiano Aug. v. & Theodosio Aug. Coss.*

Gregorius Nazianzenus sanctissimus Christi sacerdos, & Hieronymi nostri praepositor, ecclesia nostra apud Byzantium capta ab Arrianis, plebem catholicam in beatae Anastasiae oratorio catholica quotidie allocutione continuit. Saepemamque prauorum conuitiis infestatus est: sed gratia Christi praeditus, usque ad id tempus, quo eadem ecclesia sui praesentia nostris est reddita, perfidis obstetit Arrianis. Nam his Coss. Theodosius Magnus postquam de Scythicis gentibus triumphauit, expulsis continuè ab Orthodoxorum ecclesia Arrianis, qui eam per xl. ferme annos sub Arrianis Imperatoribus tenuerant, nostris Catholicis Orthodoxus restituit.

† *Marcellini Comitis*  
Imperator mense Decembri.

IN D. IX. *Eucherio & Euagrio Coss.*  
Sanctis c. l. patribus vrbe Augusta congregatis aduersus Macedonium in spiritum sanctum naufragam, ab iisdem episcopis sancta Synodus confirmata est: Damaso videlicet sedem beati Petri tenente, Constantinopoli verò per Timotheum Alexandrinum, perque Meletium Antiochenum & Cyrillum Hierosolymitanum episcopos, Nectario ex pagano protinus baptizato, & in præfata Synodo pontifice ordinato. Athanaricus rex Gothorum, cum quo Theodosius Imp. fœdus pepigerat, Constantinopolim mense Ianuario venit, eodemque mense morbo periit.

IN D. X. *Antonio & Syagrio Coss.*  
Diu Valentiniani magni cadauer Theodosius princeps ab Italia reportatum, apud Comitatum regio in sepulchro recondidit. Eodem anno vniuersa gens Gothorum, Athanarico rege suo defuncto, Romano sese imperio dedit. Mense Octobri Damasus Romanæ ecclesiæ, exceptis Liberio & Felice, xxxv. episcopus, anno pontificatus sui xviii. in Domino requieuit.

IND. XI. *Merobaude II. & Saturnino Coss.*

Romanæ ecclesiæ Siricius xxxvi. annis factus, vixit annos xv. Archadius à patre suo Theodosio Aug. confors imperij septimo ab vrbe milliario coronatus est. Gratianus imp. Maximi tyranni dolo apud Lugdunum occisus est viii. Cal. Septembris.

IND. XII. *Richomere & Clearcho Coss.*

Legati Persarum Constantinopolim aduenerunt pacem à Theodosio principe postulantes. Eodem tempore Honorius alter Theodosio natus est filius mense Septembri.

IND. XIII. *Archadio & Baulone Coss.*

Theodosius Imp. aliquantas eas nationes per legatos suo vt pote imperio subdidit.

IND. XIV. *Honorio Casare & Euodio Coss.*

Inuasam princeps Theodosius ab hostibus Thraciam vindicauit, victorque eū Archadio filio suo urbem ingressus est. Galla Theodosij regis altera vxor his cōsulibus Constantinopolim venit.

IND. XV. *Valentini mo vii. & Marcio C.*

Archadius Casar eū patre suo Theodosio sua quinquennalia celebrante. Theodosius Magnus Italiam contra

Maximumum tyrannum pugnaturus accessit.

IND. I. *Theodosio Aug. II. & Cynegio Coss.*

Valentinianus Gratiani frater & Theodosius Imp. Maximum tyrannum & Victorem filium eius apud Aquileiam rebellentem vicerunt. Andragathius Comes morte Maximi cognita precipitem sese in vadas dedit ac suffocatus est.

IND. II. *Timasio & Promoto Coss.*

Theodosius Imp. cum Honorio filio suo Romam mense Junio introiit, congiarium Romano populo tribuit, urbemque egressus est Cal. Septembris. Per idem tempus grando crepitans per biduum continuum pro pluvia cecidit, pecorum arborumque pernicies. Stella à Septentrione gallicinio surgens, & in modum Luciferi ardens potius quam splendens apparuit, vicesimo sexto die esse desinit. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodosij imp. edicto solutum est.

IND. III. *Valentiniano Aug. IV. & Neoterio Coss.*

Signum in celo quasi columna pendens ardensque per dies xxx. apparuit.

Galla Theodosij vxor ab Archadio priuigno suo eiecta est. Obeliscus in circo positus est. columna haud longè ab ecclesia constituta est, quæ argenteam Theodosij Magni statuam ferens hætenus contemplatur.

IND. I V. *Tatiano & Symmacho Coss.*

Theodosius Imp. Italia decedens Cōstantinopolim remeauit. Valentinianus Imp. apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus interiit Idib. Martiis. Eugenius Arbogastis fauore confusus imperium sibimet vsurpauit.

IND. V. *Archadio VI. & Rufino Coss.*

Arbogastes Valentiniano Imp. extincto, & Eugenio Cæsare facto, innumeras inuisitasque copias vndique in Gallias contraxit, Occidentale imperium utpote sibi vindicaturus, vir barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius. Contraxit autem vndique innumeras copias, vel Romanorum præsiidiis, vel Barbarorum auxiliis, alibi potestate, alibi cognatione subnixus. Vique hunc xiiii. Theodosij imperij annum, beatus Hieronymus post ascensionem D. N. Iesu Christi, à Petro Apostolo incipiēs, & in semetipsum

desinens, cxxxv. virorum illustrium ecclesiastica volumina descripsit, apud Bethleem oppidum degens, ubi & monasterium sibi condidit, & alia multa ecclesiastica literis quoque Hebraicis edoctus scripsit, finemque vitæ suæ admodum senex fecit, ibique sepultus est, Catholicis quidem inexpugnabilis ecclesiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hostis, tam proposito vitæ suæ, quam librorum à se editorum assertionibus depugnans.

IND. VI. *Theodosio III. & Abundantio Cæs.*

Honorium patris sui Theodosius in eodem loco quo fratrem eius Archadiū Cæsarem fecit, id est septimo ab vrbe regia milliario. Tunc quippe hora diei tertia tenebræ factæ sunt.

IND. VII. *Archadio III. & Honorio II. Cæs.*

Theodosius Augustus assumpto Honorio Cæsare, eodemque filio, contra Arbogastem, qui Eugenium tyrannum Imperatorem facere ausus est, iterum properavit. bello commisso Eugenius victus atque captus interfectus est, Arbogastes sua se manu perculit. Terra-

motu à mense Septembrio in Nouembrium continuo imminente, aliquantæ Europæ regiones quassatæ sunt. Thermæ Archadianæ ex conditoris sui nomine nomen acceperunt.

IND. VIII *Olfbrio & Prebino Coss.*

Theodosius Magnus apud Mediolanum vita decessit. Imperauit annos xvii. Corpus eius eodem anno Constantinopolim ablatum, atq; sepultum. Archadius & Honorius germani, utrûque imperium diuuis tantum sedibus tenere cœperunt. Rufinus patricius Archadio principi insidias tendens, Alaricum Gothorû regem, missis ei clam pecuniis, infestû Reip. fecit, & in Græciam misit. Porrò detecto dolo suo Rufinus ab Italicis militibus, olim cum Gama Comite Archadio missis, ante portas vrbs meritò trucidatus est. Caput eius manusque dextra per totam Constantinopolim demonstrata.

IND. IX. *Archadio IIII. & Honorio III. Coss.*

Rufini vxor & filia exulant. Eutropius sacri palatij cubicularius omnes opes abripuit, auaritiâque transgressus est. Terramotus per dies plurimos

10 *Marcellini Comitis*

fuit, cælumque ardere visum est.

IND. X. *Cesario & Attico Coss.*

His consulibus Flaccilla Archadio  
nata est filia.

IND. XI. *Honorio IIII. & Euty-  
chiano Coss.*

Romanæ ecclesiæ Anastasius xxxvii.  
episcopus ordinatus vixit annos qua-  
tuor. Ambrosius Mediolanēsis, virtutū  
episcopus, arx fidei, orator Catholi-  
cus, ad Christum Dominum commigra-  
uit. Ioannes Antiochiæ natus, ibique  
à Meletio eiusdem ciuitatis episcopo,  
codemque confessore, lector ecclesiæ  
ordinatus, per singulos officij gradus  
ascendit. Vbi per quinquennium con-  
tinuum Diaconus multos diuinōsque  
edidit libros: Presbyter quoque factus  
per xii. annos plures confecit. Tan-  
ta dehinc opinione vbique meritò pro-  
pagatus, Constātinopoli in locum Ne-  
starij pontifex successit. vbi plurima  
dulciāque diuinarum scripturarum vo-  
lumina suo operi catholico addidit,  
hosq; episcopos habuit inimicos, Theo-  
philum Alexandrinū, Epiphanium Cy-  
prium, Acacium Beroensem, Antio-  
chum Ptolomensem, Seuerianum Ga-

balensem, & Scuerum Calchedonensē. Gildo Comes, idēque paganus, qui mortuo Theodosio principe Africæ præerat, dum Archadio & Honorio adhuc pueris regnantibus inuidet, Africamque nititur obtinere, frater eius Mascezel cognita eius vesania, relictisque duobus apud Africam filiis, in Italiam remeat: Gildo utrumque fratris filium dolo trucidat. Mascezel fratris scelere cognito, cum quinque millibus suorum contra Gildonem cū l. xx. millibus armatorum sibi met obuiantem infestus accedit, Gildonēque parricidam ieiuniis & orationibus suis, immò beati Ambrosij in somnis admonitu, auxiliantibus fugauit. Gildo fugiens propria se manu strangulauit: sicque Mascezel sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.

IND. XII. *Theodoro & Eutropio  
eunucho Cess.* •

Hic Eutropius omnium spadonum primus atque vltimus consul fuit: de quo Claudianus poëta ait,

*Omnia cefferunt Eunucho consule monstra.*  
Pulcheria Archadio altera filia nata est.  
Quina Comes apud Constantinopolina

ad præparandum ciuile bellum barbaros suos occultè admonet; ipse valetudinem simulans vrbe digreditur. cæpto aduersus Byzantios prælio plurimi hostium cadunt, cæteri fugientes ecclesiæ nostræ succedunt, ibique relecto ecclesiæ culmine, iactisque desuper lapidibus obruuntur.

IND. XIII. *Stilichone & Aureliano Coss.*

Belium nauale contra Gainam tyrannum inter Cherronesum & Hellespontum gestum est: multa millia Gotionum caesa, vel demersa sunt. Gaina Comes de hoc bello fugiens euasit. ipso tamen anno occisus est mense Februario.

IND. XIV. *Vincentio & Frauita Coss.*

Caput Gainæ hastili præfixum Constantinopolim allatum est. Maris Pontici superficies ita gelu franata est, ut per triginta dies soluta tandem glacies iustar montium per Propontidem supernè portata decurreret. Theodosius iunior patre Archadio natus est III. Idus Apriles.

IND. XV. *Archadio V. & Honorio V. Coss.*

Romane ecclesiæ Innocentius XXXVIII. creatus archiepiscopus, vixit an-

nos xv. Theodosius iunior in loco quo pater, patruusque suus, Cæsar creatus est. Constantinopoli ingens terræ motus fuit.

IND. 5. *Theodosio iuniore & Pume-  
rido Coss.*

Marina patre Archadio nata III. Idus Febr. Eudoxiæ Archadij vxoris super porphyreticam columnam argentea statua iuxta ecclesiam posita hætenus sistit. Ioannem Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum, cui supradicti sex antistites in casum æmuli fuere, aliosque triginta sibimet episcopos consciuere, nolente Archadio principe, in Cucufu Armeniæ oppidum exulem miserunt, eumque post annum vnum in villam, quæ Comana in regione Pontica dicitur, de exilio in exilium relegarunt. Hunc ibidem mortuum religiosa Orthodoxorû plebs in atrio Basilisci episcopi sancti, idemq. martyris, ab eodem Martyre in somnis admonita, in nouum moxque repertum sepulchrum recondidit.

IND. II. *Honorio VI. & Aristancto Coss.*

Ecclesiam Constantinopolitanam flamma ignis, quæ de beati Iohannis thro-

no quondam episcopi nata fuit, subito  
conflagrauit, vicinamque ecclesiæ vr-  
bis faciem serpens nihilominus exussit.  
Eudoxia vxor Archadij diem obiit.

IND. III. *Stilichone II. & Anthemio Coss.*

Isauri per montem Tauri discursan-  
tes ingens dispendium Reip. importa-  
runt: quibus Narbazaicus legatus ma-  
ius continuò rependit incommodum.

IND. IV. *Archadio VI. & Probo Coss.*

Theodosius iunior quinquennialia de-  
dit. Radagaifus paganus & Scytha cum  
ducentis millibus suorum totam Italiã  
inundauit. Huldin & Sarus Hunnorum  
Gothorumque reges Radagaifum con-  
tinuò deuicerunt, ipsius capite ampu-  
tato, captiuos eius singulis aureis di-  
strahentes.

IND. V. *Honorio VII. & Theodosio  
iuniore XI. Coss.*

Cisterna maxima iuxta porphyreti-  
cam Constantini Imperatoris colum-  
nam in foro eius sub plateæ transitum  
constructa est.

IND. VI. *Basso & Philippo Coss.*

Stilicho Comes, cuius duæ filiæ Ma-  
ria & Thermantia singulæ vxores Ho-  
nori; principis fuerunt, vtraque tamen

virgo defuncta , spreto Honorio , regnumq; eius inhians , Alanorū , Sueuorum , Vvandalorumque gentes donis pecuniisque illectas contra regnū Honorij excitauit, Eucherium filium suum paganum & aduersum Christianos insidias molientem cupiens Cæsarem ordinare. qui cum eodem Eucherio dolo suo detecto occisus est. Romæ in foro pacis per dies septem terra mugitum dedit. Archadius Imp. vitæ finem fecit. regnauit post obitum patris sui Theodosij annos XIII.

IND. VII. Honorio VIII. & Theodosio iuniore III. Coss.

Apud Constantinopolim magna exarsit populi seditio , panis scilicet penuria sibi met ingruente .

IND. VIII. Valare solo Coss.

Alaricus trepidam urbem Romam inuasit, partemque eius cremauit incendio , sextoque die quam ingressus fuerat deprædata urbe egressus est , Placidia Honorij principis sorore abducta , quam postea Ataulfo propinquo suo tradidit vxorem.

IND. IX. *Honorio IX. & Theodofio IV. Cof.*

Theodofius iunior decennalia, Honorius Romæ vicennalia dedit. Conftātinus apud Gallias inuafit imperium, filiumque fuum ex monacho Cæfarem fecit: ipfe apud Arelatum ciuitatē occiditur, Conftans filius apud Viennam capite pleditur.

IND. X. *Theodofio Imp. v. fole Cof.*

Iouinus ac Sebastianus in Galliis tyrannidem molientes occifi fuñt. Attalus in mari captus, atque Honorio exhibitus, truncata manu vitæ relictus eft.

IND. XI. *Lucio fole Cof.*

Heraclianus Africæ Comes cū feptuagētis nauibus & tribus militum milibus ad urbem tendens, mox ad urbem Romam egreffus eft, occurfu Marini Comitis territus & in fugam verfus, arrepta naue folus Cathaginem rediit, ibique illic interfecit.

IND. XII. *Constantio & Conftante Cof.*

Pulcheria Theodofij foror Augusta appellata eft. Valia rex Gothorum facta cum Honorio principe pace, Placidiam fororem eius eidem viduam reddidit.

IND. XIII. *Honorio X. & Theodosio VI. Coss.*

Ecclesia Constantinopolitana dudum igni cremata, his Coss. restaurata dedicataque est, Attico episcopo eandem regente ecclesiam. Lucianus presbyter vir sanctus, cui reuelavit Deus his Consulibus locum sepulcri & reliquiarum corporis sancti Stephani primi Martyris, scripsit ipsam reuelationem Græco sermone ad omnium ecclesiarum personas.

IND. XIII. *Theodosio VII. & Palladio Coss.*

Orosius presbyter Hispanici generis septem libros historiarum descripsit. Missus ab Augustino episcopo idem Orosius pro discenda animæ ratione ad Hieronymum Presbyterum, reliquias beati Stephani tunc nuper inuentas rediens primus intulit Occidenti. Atticus Constantinopolitanus episcopus scripsit ad reginas, Archadij Imp. filias, de fide & virginitate librum valde egregium, in quo præueniens Nestorianum dogma impugnat.

IND. XV. *Honorio XI. & Constantio II. Coss.*

Tenebræ in die factæ sunt. Cybera Asiæ ciuitas, aliquantaque prædia terræ motu demerita. Romanæ ecclesiæ Zosimus xxxviii. episcopus ordinatus vixit annis lll.

IND. I. *Honorio XII. & Theodosio viii. Coss.*

Plinta Comes, idemque rebellio, apud Palæstinam prouinciam deletus est. Solis defectio facta est. Stella ab Oriente per septem menses surgens ardensque apparuit.

IND. II. *Monaxio & Plinta Coss.*

Valentinianus iunior apud Rauennam patre Constantio, & Placidia matre, v. Nonas Iulias natus est. Multæ Palæstinæ ciuitates villæque terræmotu collapsæ. Dominus noster Iesus Christus semper vbique præsens, & super montem Oliueti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestauit. Multæ tunc vtriusque sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quàm auditu perterritæ, atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi salua-

toris, diuinitatis nutu, extemplo impressa refulsit.

IND. III. *Theodosio IX. & Constantio III. Coss.*

Romanæ ecclesiæ Bonifacius XI. episcopus ordinatus, vixit annis tribus. In Oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque suum Maximinum nomine extinxerunt. In Perside in Christianos persecutio defæuit.

IND. IIII. *Eustathio & Agricola Coss.*

Theodosius Imp. Eudociam Achinam duxit vxorem. Archadio patri suo in foro eius, super immanem columnã, ingentem statuam idem Theodosius dedicauit. Cisterna Aëtij constructa est. Romani cum Persis conflixere.

IND. V. *Honorio XIII. & Theodosio X. Coss.*

Theodosius Imp. Eudoxiam filiam genuit. In tricennalia Honorij, Maximus tyrannus & Iouinus ferro victi, adducti de Hispaniis atque interfecti sunt. Hunni Thraciam vastauerunt. Persæ cum Romanis pacem pepigere.

IND. VI. *Asclepiodoto & Mariniano Coss.*

Cælestinus Romanæ ecclesiæ XII. Antistes creatus est, vixit annos IX. E-

uagrus scripsit altercationem Iudæi Simonis & Theophili Christiani, quæ penè omnibus nota est. Terræmotus multis in locis fuit, & frugum inedia subsecuta. Philippus & Salustius philosophi morbo perierunt. stella sæpe ardente crinita Honorius Imp. fatale munus impleuit.

IND. VII. *Victore & Castino Coss.*

Placidia mater Valentiniani Augusta nuncupata est. Valentinianus Cæsar creatus Theodosij Imp. Eudoxiam filiam sibi met desponsauit. Ioannes regnum Occidentale Honorio defuncto inuasit.

IND. VIII. *Theodosio XI. & Valentiniano Cæsare Coss.*

Suprafatus Ioannes dolo potius Ardaburis & Asparis, quàm virtute occiditur. Valentinianus iunior apud Rauennam factus est Imperator.

IND. IX. *Theodosio XIII. & Valentiniano II. Coss.*

Sisinnius vir sanctæ simplicitatis, & simplicis sanctitatis, Constantinopolitanus episcopus factus est.

IND. X. *Hicrio & Ardabure Coss.*

Pannoniæ, quæ per quinquaginta an-

nos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptæ sunt. Thermæ Theodosianæ dedicatæ.

IND. XI. *Felice & Tauro Coss.*

Nestorius Antiochia natus, vir satis quidem eloquentiæ, sapientiæ verò parum habens, Constantinopolitanis admodum adnitentibus, ex presbytero episcopus ordinatus est. Beatissimi Ioānis episcopi, dudum malorum episcoporum invidia exulati, apud Comienum cœpit memoria celebrari mense Septembrio die xxvi.

IND. XII. *Florentio & Dionysio Coss.*

Orthodoxi nostri Macedonianorum ecclesiam extra muros urbis positam abstulerunt, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis Catholicum episcopum interfecerunt. Beatissimus Augustinus Hipponensis ecclesiæ elegantissimus Christi sacerdos, doctôrque præcipuus, morte placida quieuit.

IND. XIII. *Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss.*

Theodosius Imp. tricennalia gessit. Felix apud Ravennam occiditur. Cælestinus Romanæ arcis pôtifex, Nestorio pravitatis episcopo per epistolam suam,

datis eidem x. dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denunciât. Idem Nestorius ecclesiæ Constantinopolitanæ perfidus Antistes, à quo & Nestoriana perfidia pullulauit, apud Ephesum ducentorum sanctorum patrum sententia in Synodo condemnatus est, Cœlestino Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis episcopum pro tempore vicarium denunciante: in locum Nestorij Maximianus episcopus est subrogatus.

*IND. XIII. Antiocho & Basso Coss.*

Flacilla Theodosij Augusti filia extremum spiritum fudit. Barbari vrbe Augusta enutriti ad ecclesiam nostram hostili ritu confluunt: ignem in ecclesiam ad comburendum altare dum infesti iaciunt, inuicem sese, resistente Deo, trucidant. Hoc tempore dum ad horrea publica Theodosius processum celebrat, tritici in plebe ingruente penuria Imperator ab esuriente populo lapidibus impetitur.

*IND. XV. Valerio & Actio Coss.*

Romanæ ecclesiæ Xystus *XLII.* episcopus ordinatus vixit annis *VIII.* Placidia matris Valentiniani Imp. instin-

ctu, ingens bellum inter Bonifacium & Actium patricios gestū est. Actius longiore Bonifacij telo pridie sibimet præparato, Bonifacium congreudentem vulneravit illæsus: tertioque mense Bonifacius vulnere quo sauciatus fuerat emoritur, Pelagiam vxorem suam valde locupletem, nulli alteri nisi Actio vt nuberet exhortans.

IND. I. *Theodosio XIV. & Maximo Cess.*

Maxima vrbs regie pars Septentrionalis per tres dies continuos incensa, collapsaque est mense Augusto.

IND. II. *Ariobindo & Aspare Cess.*

Honoriam Valentiniani Imp. soror ab Eugenio procuratore suo stuprata concepit, palatioque expulsa, Theodosio principi de Italia transmissa, Attilanem contra Occidentalem remp. concitabat.

IND. III. *Theodosio XV. & Valentiniano IV. Cess.*

Forum Theodosij Imp. in loco qui Helianæ dicitur ædificatum est. Sebastianus Bonifacij quondam patricij gener vrbe Augusta fugit, atque in Africa interemptus est.

IND. IV. *Isidoro & Senatore Coss.*

Theodosius Imp. Cyzicum ciuitatem nauibus petit, multaque eidem ciuitati munificentia præstita, urbem Augustam renauigauit.

IND. V. *Actio : : & Sigisunlido Coss.*

Valentinianus Imp. Roma digressus, ad copulandam sibi in matrimonium Eudoxiam Theodosij principis filiam, quam dudum desponsauerat, Constantinopolim aduenit, eaque sibi nupta apud Theffalonicam, Italiam repetens hyemauit.

IND. VI. *Theodosio XVI. & Fausto Coss.*

Cotradis prædo cum piratis suisque comitibus captus, interfectusque est. Reliquiæ beatissimi Ioannis, Augustæ urbis quodam episcopi, eidem reddita ciurati, ibiq. sepultæ, mense Ianuario die XXVIII. Valentinianus Imp. cum Eudoxia vxore Rauennam ingressus est.

IND. VII. *Theodosio XVII. & Festo Coss.*

Theodosius Imp. octaua quinquennialia edidit. Eudocia vxor Theodosij principis ab Hierosolymis urbem Regiã remeant, beatissimi Stephani primi martyris reliquias, quæ in basilica S.

Laurentij positæ venerantur, secum deferens. Hoc tempore Gensericus rex Vuandalorum Africæ ciuitates, Carthaginémque metropolim cum suis satellitibus occupauit x. Cal. Nouembris.

IND. VIII. *Valentiniano V. & Anatolio Coss.*

Paulinus magister officiorum in Cæsarea Cappadociæ, iubente Theodosio Principe, interemptus est. Romanæ Ecclesiæ Leo XLIII. papa creatus vixit annos XXI.

IND. IX. *Cyrosolo Coss.*

Persæ, Sarraceni, Zanni, Isauri, Hunni finibus suis egressi Romanorum sola vastarunt. Missi sunt contra hos Anatolius & Aspar magistri militiæ, pacémque cum eis vnus anni fecerunt. Ioannes natione Vuandalus, magisterque militiæ, Arnegiseli fraude in Thracia interemptus est. Hunnorum reges numerosis suorum cum millibus in Illyricum irruerunt: Naissum, Singidunum, aliásque ciuitates, oppidáque Illyrici plurima exciderunt.

IND. X. *Eudoxio & Dioscuro Coss.*

Stella quæ crinita dicitur per pluri-

num tempus ardens apparuit. Bleda & Attila fratres, multarumque gentium reges, Illyricum, Thraciamque depulati sunt.

IND. XI. *Maximo II. & Paterno Coss.*

His consulibus tanta nix cecidit, ut per sex menses vix liquefcere potuerit: multa hominum & animalium millia frigoris rigore cōfecta perierunt. Theodosius Imp. ex Asiana expeditione in urbem redit. Thermarum quæ Achilææ dicuntur encæniæ factæ.

IND. XII. *Theodosio XVIII. & Albino Coss.*

Theodosius princeps nona quinquennialia dedit. Archadia soror Theodosij viuendi finem fecit. Aliquanta Bithyniæ oppida atque prædia continuarum vilonga pluuiarum, & fluuiorum inundatione crescentium, sublapsa dissolutaque perierunt. Seuerum presbyterum & Ioannem Diaconum Eudociæ regi-næ apud Æliam urbem ministrantes, missus ab Imp. Theodosio Saturninus Comes domesticorum occidit. Eudocia nescio quo excita dolore Saturninum protinus obtruncavit: statimque mariti Imp. nutu, regis spoliata ministris,

apud Æliam ciuitatem moritura remansit.

IND. XIII. *Valentiniano VI. & Nemo Coss.*

Bleda rex Hunnorum Attilæ fratris sui insidiis interimitur. Apud Byzantiū populari orta in Circo seditione multi sese inuicem occiderunt, multaque intrinsecus hominum pecudumque morbo corpora perierunt.

IND. XIV. *Actio III. & Symmacho Coss.*

His consulibus magna fames Constantinopolim inuasit, pestisque ilicō subsecuta. Templum Regiæ ciuitatis igne crematum.

IND. XV. *Ardabure & Callepio Coss.*

Ingenti terræ motu per loca varia imminente plurimi vrbis Augustæ muri recentiadhuc reedificatione constructi, cum LVII. turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum super sese in ædificio posita, statumque plurimæ sine ullius videlicet læsione collapsæ sunt, plurimis nihilominus ciuitatibus collapsis: fames, & aëriū pestifer odor multa millia hominum iumentorumque delcuit. Ingens bellum

& priore maius per Attilam regem nostris inflictum, penè totam Europam, excisis inuasisque ciuitatibus, atque castellis, conrasit. Eodem anno, vrbis Augustæ muri olim terræmotu collapsi, intra tres menses, Constantino Præfecto prætorio operã dante, reædificati sunt. Attila rex vsque ad Thermopolim infestus aduenit. Arnegisclus magister militiæ in ripense Dacia, iuxta Vtum amnem, ab Attila rege, viriliter pugnans, plurimis hostium interemptis, occisus est.

• IND. I. *Zenone & Postumiano Coss.*

Prouincia India Theodosio principi Tigrim domitam pro munere misit. Vtramque porticum Troadensem, turresque portarum vtrasque ignis subitus exussit: quarum ruina continuè repurgata, Antiochus Præfectus prætorio in pristinam crexit speciem: legatis Attilæ à Theodosio despectas olim pecunias flagitantibus.

IND. II. *Protogene & Asturio Coss.*

Marina Theodosij regis soror fati mundus impleuit. Flavianus episcopus in secunda apud Ephesum Synodo, vi Dioscori Alexandrini episcopi, & Sa-

turnini spadonis in Epip̄ā exulatus est. Areobinda & Taurus patricij communi vita defuncti sunt.

IND. III. *Valentiniano VII. & Abieno Coss.*

Theodosius Imp. viuendi finem fecit: regnauit post mortem Archadij patris sui annos XLII. Loco eius Marcianus imperium adeptus est. Crysfaphius eunuchus, Pulcheriæ Theodosij sororis nutu, sua cum auaritia interemptus est.

IND. IV. *Marciano Aug. & Adelfo Coss.*

Leone pontifice sedem B. Petri regēte, DCXXX. patrum sancta & vniuersalis synodus contra Eutychetem nefandissimorum præfulem monachorum, apud Calchedonam in basilica sanctæ Eufemiæ firmata est: solus Dioscorus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus dissensit, statimque ab iisdem catholicis patribus sacerdotio abdicatus est.

IND. V. *Sporacio & Herculano Coss.*

Marcianus Aug. suis statuit decretis, vt hi qui consules fieri cupiebant nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum vrbis aquæ ductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides è cælo in Thra-

cia ceciderunt. Aquileia ciuitas ab Artala Hunnorum rege excisa est.

IND. VI. *Vincomalo & Opilione Coss.*

Ioannes præcurfor Domini & baptista, caput suum, quod olim Herodias impia nefandaque postulatione ab humeris amputatum & in disco positum accepit, proculque à truncato eius corpore sepeliuit, quobus Orietalibus monachis ob adorandam apud Hierosolyman Christi Domini resurrectionem introeuntibus reuelauit, vt ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes admoniti requirerent, fideliterque humo extollerent. Hoc ergo caput fide repertum, suaque hispida in mantica conditum, dum ad propria remeantes habitacula peruehunt, quidam Emisenæ figulus ciuitatis, diutinam imminentemque sibi fugiens paupertatem, sese his exhibuit comitem: quique dum nefcius peram sibi creditam cum sacro capite portat, ab eo cuius caput veherat, noctu admonitus. vtrumque comitem fugiens dereliquit, statimque Emisenam urbem cum sancto leuique onere introgressus est. Ibi dum aduixit præcurforis Christi veneratus est caput, mo-

riensque sorori suæ rerum nesciæ signatum in vasculo tradidit recolendum. Illa verò successori suo repositū, signatūque vt erat dereliquit. Porrò Eustochius quidam occultus Arrianæ perfidiæ presbyter, talem tantūque thesaurum indignus obtinuit, gratiāque quam Christus Dominus per Ioannem Baptistam infirmo populo tribuebat, is eam, ac si suam duntaxat, in vulgo diffeminabat. Hinc prauitate sua detecta Emisena ciuitate expulsus est. Hoc inde antrum, in quo beatissimi Ioannis caput in vnam missum, sub terraque reconditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demum presbyter, totiusque monasterij præful, dum in eodem specu vitæ irreprehensibili habitat, idem B. Ioannes Christi que præcursor sese eidem suumque ostendit caput, ibidēque sepultum multis præfulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput sub Vranio memoratæ episcopo ciuitatis, per præfatum Marcellum presbyterum constat inuentum Vincomalo & Opilione cons. mense Februario, die *xxiiii.* media ieiuniorum paschaliū

septimana, Imperatorib. verò Valentiniano & Marciano regnātibus. Pulcheria Augusta Marciani principis vxor, B. Laurentij attriū inimitabili opere consummauit, beatūmq. viuendi finē fecit.

IND. VII. *Aëtio & Studio Coss.*

Attila rex Hunnorum Europæ orbator prouinciæ noctu mulieris manu cultroque confoditur. Quidam verò sanguinis reiectione necatum perhibent. Aëtius patricius magna Occidentalis Resp. salus, & regis Attilæ terror, à Valentiniano Imp. cum Boëtio amico in palatio trucidatur, atque cum ipso Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit releuari.

IND. VIII. *Valentiniano VIII. & Anthemio Coss.*

Valētinianus princeps dolo Maximi patricij, cuius etiā fraude Aëtius perierat, in campo Martio per Optilam & Traustilam Aëtij satellites, iam percussio Heraclio spadone, truncatus est. Idem Maximus inuatic imperiū, tertioq. tyrannidis suæ mense, membratim Romæ à Romanis tractus discerptusque est. Genfericus rex Vuandalorum, ab Eudoxia Valentiniani vxore epistolis inui-

inuitatus ex Africa Romam ingressus est, eaque vrbe rebus omnibus spoliata, eandem Eudoxiam cum duabus filiabus secum rediens abduxit.

IND. IX. *Varane & Ioanne Cess.*

His consulibus innumera locustarum agmina fructum Phrygiæ vastauerunt. Eucherius Lugdunensis Ecclesiæ pontifex multa scripsit tam ecclesiasticis, quàm monasticis studiis necessaria.

IND. X. *Constantino & Ruso Cess.*

Marcianus Imp. bonis principibus comparandus vitæ spiritum amisit. imperauit annos VI. menses VI. Leo eidem defuncto successit, cuius voluntate Maiorianus apud Rauennam Cæsar est ordinatus.

IND. XI. *Leone Aug. & Maioriano Cess.*

Leo Imp. pro tomo Calchedonense per vniuersum orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantesque misit epistolas, quo sibi quid de eodem tomo sentirent cuncti suis re-  
scriptionibus indicarent. Horum omnium episcoporum ita conspirantes suscepit epistolas, vt eas putares vno tempore vnius viri eloquio fuisse dictatas.

IND. XII. *Patricio & Ricimere Coss.*

Isaac Antiochenæ ecclesiæ presbyter scripsit Syro sermone multa, præcipueque aduersus Nestorianos & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ elego carmine plāxit, quemadmodum Ephrē diaconus Nicomediæ lapsus.

IND. XIII. *Apollonio & Magno Coss.*

Cyzicus ciuitas terramotu concussa, murorumque suorum ambitu interrupto, sese suosque diu deplanxit.

IND. XIII. *Dagalaiso & Seuerino Coss.*

Romanæ ecclesiæ Hilarus XLIII. pontifex factus, vixit annos VI. Maiorianus Cæsar apud Dertonam, iuxta fluiuium qui Hyra dicitur, interemptus est. Locum eius Seuerus inuasit.

IND. XV. *Leone Aug II. solo Coss.*

Iacobus natione Achiuus, religione paganus, medicinæ artis peritia, tam ingenio quàm literatura perclaruit. Hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, sacrum palatij cubiculum vocatus intrauit, statimque in sella iuxta thorum imperialem posita, sine ullo Augusti nutu confedit, sicque medicas adhibuit manus. Porrò meridie ad eundem sacrum puluinar reuersus,

sublatum sui propter folium, in quo matutinus resederat, protinus intellexit, spondamque thori regiam intrepidus supersedit, veterumque studij sui repletorum præceptionibus monitum id sese gessisse, non temerè præsumsisse, ægrotantem docuit principem.

IND. I. *Viviano & Felice Coss.*

Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Epistolæ quoque Papæ Leonis aduersus Eutychem de vera Christi incarnatione datæ, ab isto dictatæ creduntur.

IND. II. *Rusticio & Olybrio Coss.*

Georgor rex Alanorum à Ricimerè rege occiditur.

IND. III. *Basilisco & Hermenerico Coss.*

Constantinopolis magno inuasa incendio, facièque fœdata deplanxit. Seuerus, qui Occidentis arripuit principatum, Romæ interiit.

IND. IIII. *Leone Aug. III. solo Coss.*

Theodoritus episcopus Cyri ciuitatis, scripsit de incarnatione Domini aduersus Eutychè presbyterum, & Dioscorum Alexandrinæ ecclesiæ episcopum, qui humanam in Christo carnem

fuisse denegant.

IND. V. *Puseo & Ioanne Coss.*

Leo Imp. Anthemium patricium Romanam misit, Imperatorémque cōstituit. Romanæ ecclesiæ Simplicius XLV. Pōtiffex creatus vixit annos XV. Raunenam ciuitatem terræmotus deterruit.

IND. VI. *Anthemio Aug. II. solo Coss.*

Marcellinus Occidentis patricius, idemque paganus, dum Romanis contra Vandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur, pro quibus pacem venerat pugnaturus.

IND. VII. *Zenone & Marciano Coss.*

His consulibus caput Denzicis Hunnorum regis Attilæ filij Constantinopolim allatum est.

IND. VIII. *Iordane & Seuero Coss.*

Gennadius Constantinopolitanæ ecclesiæ pontifex Danihelem prophetam ex integro ad verbum commētatus est, & Homilias multas composuit, & Pauli epistolas omnes exposuit.

IND. IX. *Leone Aug. III. & Probiano Coss.*

Aspar primus patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem

olim patricio, hoc autem Cæsare, generoque Leonis principis appellato, Arrianus cum Arriana prole spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit.

IND. X. *Marciano & Festo Coss.*

Vesuvius mons Campaniæ torridus intestinis ignibus æstuans exusta euomit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbētibus, omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Huius metuendi memoriam cineris Byzantij annuè celebrant VIII. Idus Nouemb. Anthemius Imp. Romæ à Ricimere genero suo occiditur. Loco eius Olybrius substitutus, septimo mense imperij sui vita defunctus est. In Asia aliquantæ ciuitates vel oppida terræmotu collapsa sunt.

IND. XI. *Leode Aug. v. solo Coss.*

Glycerius apud Rauennam plus præsumptione quàm electione Cæsar factus est. Constantinopoli seditione in Circo orta, multi Isaurorum à populo interempti sunt.

IND. XII. *Leone iuniore solo Coss.*

Leo senior Imp. Leone iuniore à se iam Cæsare constituto, morbo periit, tam sui imperij annis, quàm

huius Leonis regni mensibus computatis, anno xvii. mense vi. Zenonē Leo iunior, idémq; filius Imperator principem regni constituit. Glycerius Cæsar Romæ imperium tenēs, à Nepote, Marcellini quondā patricij sororis filio, imperio expulsus, in portu vrbis Romæ ex Cæsare episcopus ordinatus est, & obiit.

IND. xiiii. *Zenone Aug. II. solo Cæs.*

Zeno Imp. Verinæ socrus suæ, & Basilisci fratris eius insidiis circumuentus, cum Ariadne vxore sua profugus in Isauriam tendit. Regnum Zenonis Basiliscus tyrānus inuasit. Nepos, qui Glycerium regno pepulerat, Romæ eleuatus est Imperator. Nepote Orestes protinus effugato, Augustulū filium suum in imperium collocauit.

IND. xiiii. *Basilisco & Armato Cæs.*

Basiliscus tyrannus Marco filio suo Cæsare factō, dum contra fidem Catholicam Nestoriana perfidia intumescens conatur assurgere, antè inflatus crepuit, quàm pœnitens stare potuerit. Basiliscus cum filio, & cum Zenonida vxore sua, iam Zenone pristinum ad imperiū remeante, in exilium missus est, atque in oppidulū, quod Leminis in prouin-

cia Cappadociae dicitur, trusus fame extabuit. Odoacer rex Gothorum Romanam obtinuit, Orestem Odoacer ilicò trucidauit, Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniae castello exilij pœna damnauit. Hesperium Romanae gentis imperium, quod septingentesimo nono vrbis conditæ anno primus Augustorù Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorù regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romanam tenentibus.

IND. XV. *Sine consulibus.*

Bracilam Comitē Odoacer rex apud Rauennam occidit.

IND. I. *Illo solo Cos.*

Theodulus presbyter in Cœlesyria multa conscripsit, clarusque habetur.

IND. II. *Zenone Aug III.*

Sabinianus magnus Illyricianae vtriusque militiæ ductor creatus, curiam fragilem, conlapsūque iustum Reipublicae censum, vel præpauentem fouit, vel dependentem tutatus est. Disciplinæ præterea militaris ita optimus institutor coërcitorque fuit, vt priscis Romanorù ductoribus com-

paretur. Theodoricū idem Sabinianus regem apud Græciam debacchantem ingenio magis quàm virtute deterruit.

IND. III. *Basilio solo Cos.*

Vrbs regia per x l. continuos dies assiduo terræmotu quassata magnoperè sese afflictâ deplanxit. Ambæ Troadenses porticus corruerunt, aliquantæ ecclesiæ vel scissæ sunt, vel collapsæ. Statua Theodosij magni in foro Tauri super cochlidem columnâ posita corruit, duobus fœnicibus eiusdem collapsis. Hunc formidolosum diem Byzãtij celebrant VIII. Cal. Octobris. His Cos. Nepos, quem dudum Orestes imperio abdicauerat, Viatoris & Ouidæ comitum suorum insidiis, haud longè à Salonis, sua in villa occisus est.

IND. IIII. *Placido solo Cos.*

Theodoricus Triarij filius rex Gothorum adscitis suis vsque ad Anaplū, quarto vrbs milliario aduenit: nulli tamē Romanorum noxius continuè reuersus est. Porrò in Illyricum properans, dum inter suorum mouentia plaustra progreditur, iacentis super carpentum teli acumine, & pauescentis equi sui impulsione, fixus transuerberatusq.

interiit. Sabinianum magnum mors, quæ huic peccanti mundo meritò imminet, antè eum ademit, quàm integrum defatigatæ reip. subsidium foret.

IND. V. *Trocondo & Senerino Coss.*

Romanæ ecclesiæ Felix XLVI. episcopus ordinatus vixit annis XII. Theodoricus cognomento Valamer vtramq. Macedoniam, Thessaliàmque depopulatus est, Larissam quoque metropolim deprædatus.

IND. VI. *Fausle solo Coss.*

Idem Theodoricus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentis penè pacatus, Magistèrque præsentis militiæ factus, Consul quoque designatus, creditam sibi ripensis Daciæ partem, Mæsiæque inferioris, cum suis satellitibus pro tempore tenuit.

IND. VII. *Theodorico & Fenantio Coss.*

Illus natione Isaurus, dignitate Magister officiorum, amputata apud Comitatum auricula, Orientem Zenoni infestus inuasit. Porrò cum Leontio tyrannidem arripuit. Totam namque per Africam crudelis Hunerici Vvandalorum regis in nostros Catholicos persecutio impottata est. Nam exulatis, diffu-

gatisque plusquam CCCXXXIII. orthodoxorum Episcopis, ecclesiisque eorum clausis, plebs fidelium variis subacta suppliciis, beatū cōsummauit agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus, vnus Catholicij adolescentis, vitam à natiuitate sua sine vllō sermone ducentis, linguā præcepit excidi, idemq; mutus quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros præcis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes. Hæc Arrianorum crudelitas in religiosos Christi cultores superscriptis *Coss.* mense Februario cepit infligi.

IND. VIII. *Symmacho solo Cos.*

Longinus Zenonis frater Augusti, post decennalem custodiam, quam eidē illius apud Isauriam infixerat, ad germanum suum Constantinopolim aduenit.

IND. IX. *Longino solo Cos.*

Ioannes Antiochenæ paræciæ ex grammatico presbyter, scripsit aduer-

sum eos, qui in vna tantum substantia adorandum asserunt Christum, nec ad-  
quiescunt duas in Christo confitendas  
esse naturas.

IND. X. *Boetio solo Coss.*

Theodoricus rex Gothorum Zenonis Augusti nunquam beneficiis fatiatus, magna suorum manu, usque ad regiam ciuitatem & Melentiadam oppidum infestus accessit, plurimisque locis igne crematis, ad Nouensem Mœsiæ ciuitatem, vnde aduenerat, remeauit.

IND. XI. *Dinamio & Sifidio Coss.*

Leontius interea rex, & Illus tyrannus, in Papyrio Isauriæ castello capti, decollatique sunt. Capita eorum Constantinopolim allata præfixa hastilibus tabuere. Eodem anno Theodoricus rex omnium suorum multitudine assumpta Gothorum in Italiam tendit.

IND. XII. *Eusebio & Probino Coss.*

Idem Theodoricus rex Gothorum optatam occupauit Italiam: Odoacer itidem rex Gothorum metu Theoderici perterritus, Rauennam ingressus est. porro ab eodem Theodorico periuriis illectus, interfestusque est.

IND. XIII. *Longino II. & Fausto Coss.*

Zeno Imp. Pelagij gulam in insula quæ Panormum dicitur, laqueo frangi præcepit.

IND. XIII. *Olybrio solo Coss.*

Zeno Augustus vita decessit, tam sui imperij annis, quàm Basilisci tyrannidis mensibus computatis, anno xvi. mense vi. Anastasius ex silentiario imperator creatus est. Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parsque vrbs plurima atque Cerci igne combusta.

IND. xv. *Anastasio Aug. & Ruso Coss.*

Dum bellū paratur Isauricum, dumque Isauri imperium sibi vindicare nituntur, in Phrygia iuxta Cotiaum ciuitatem vtridique confluunt, ibique Lilingis, segnis quidem pedes, sed eques in bello acerrimus, à Romanis primus in prælio trucidatur, omnesque simul Isauri fugæ dediti, per montana aspera que loca Isauriam repetunt. Hoc bellum Isauricum per sex annos tractū est.

IND. I. *Eusebio II. & Albino Coss.*

Bella ciuilia aduersus Anastasij regnum apud Constantinopolim gesta sunt: statua regis reginaeque funibus ligata, atque per urbem tracta. Iulianus

Magister militiæ nocturno prælio pugnans, Scythico ferro in Thracia confossus interiit.

IND. II. *Asterio & Præsidio Coss.*

Anastasius Imp. contra Orthodoxorum fidei maiestatem intestina cœpit prælia commouere. piaculi sui perfidiam prius in Eufemiū vrbis episcopū, sibi pro orthodoxorum fide viriliter resultantem, profano manifestauit ingenio. Laodicea, Hierapolis, & Tripolis, atque Agathicum, vno tempore vnoque terræmotu collapsæ sunt. Romanæ ecclesiæ XLVII. Gelasius episcopus ordinatus vixit annos IV.

IND. III. *Viatore solo Cof.*

Eufemius Augustæ ciuitatis antistes, de quo superius fecimus mentionem, falso ab Anastasio principe accusatus atque damnatus, in exilium ductus est. Locum Eufemij Macedonius tenuit.

IND. IIII. *Paulo solo Cof.*

Augustatico suo dudum Anastasius militibus præstito, donatiuum quoque hoc fratre Consule tribuit. India Anastasio principi elephantem, quem Plautus poëta noster Lucabum nomine dicit, duasque Camelopardalas pro mu-

nere misit.

IND. V. *Anastasio Aug. solo Cos.*

Solis defectus apparuit. bellumque Isauricum hoc sexto anno sedatum. Athenodorus Isaurotum primus in Isauria captus decollatusque est. Caput eius Tarsum ciuitatem allatum pro portis hastili fixum extabuit.

IND. VI. *Ioanne Scytha & Paulino Cos.*

Romanæ ecclesiæ XLVIII. Anastasius pontifex ordinatus vixit annos II. Longinus Isaurus cognomēto Selinunteus, apud Antiochiam Isauriæ ciuitatem à Prisco Comite captus, Constantinopolim missus est, catenatusque per Agentem circumductus Anastasio principi, & populo ingens spectaculum fuit, variisque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem expensus est. Nummis, quos Romani Terentianos vocant, Græci follares, Anastasius princeps suo nomine figuratis, placibilem plebi commutationem distraxit.

IND. VII. *Ioanne Gibbo solo Cos.*

Aristus Illyricianæ ductor militiæ cū xv. millibus armatorum, & cum DXX. plaustris armis ad præhandum necessariis oneratis, contra Bulgares Thraciam

deuastantes profectus est. Bellum iuxta Zurtam fluuium confertum, vbi plus quàm *iv.* millia nostrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis intercepta sunt. Ibiq̃ Illyriciana virtus militum perit, Nicostrato, Innocentio, & Aquilino Comitibus interfectis. Hoc anno ingens terræmotus Ponticã concussit prouinciam.

*IND. VIII. Patricio & Hypatio Coss.*

Romanæ ecclesiæ *XLIX.* Symmachus episcopus factus, vixit annos *xv.* Anastasius Imp. donatium Illyricianis militibus, per Paulum tribunum notariorum erogandum misit.

*IND. IX. Pompeio & Auicno Coss.*

Constantio Præfecto vr̃bis ludos theatrales meridiano tempore spectante, pars in eodem spectaculo cerealis parti diuersò cæruleæ occultas præparauit insidias. Nam enses saxaque in vasis inclusa fictilibus, eadẽmque arma diuersis pomis desuper cumulata, sub Theatri porticu ritu ṽdentium statuit. Dum residente Constantio ex more ciuium cõcrepant voces, antè visã quàm audita arma excutiuntur, saxaque in incautos & ciues instar imbrium iaciũ-

tur, ensesque vibrantes in amicorum, inque vicinorum sanguine oblitī, suis cum percussoribus debacchantur: nutat & congemiscit Theatri cauea, & refugientium huc atque illuc suorum pedibus conculcata, occisorumque foedata cruore deplangit. Plus enim quàm tria millia ciuium saxis, gladiisque, cōpressionibus, & aquis proscenis amissos vrbs Augusta desleuit.

*IND. X. Probo & Auiano Coss.*

Consuetā gens Bulgarorum deprædatam saepe Thraciam, nullo Romanorum milite resistente, iterum deuastauit. Amidam opulentissimam ciuitatem, monachorum eius astu proditam, Choadis rex Persarum, quinto mense quàm expugnare eam cœperat, irrupit; proditorésque eius monachos obtruncavit.

*IND. XI. Dextrate & Volusiano Coss.*

Tres Romanorum ductores, Patricius, Hypatius, & Areobinda, qui cum xv. millibus armatorum olim in Persas missi fuerant pugnaturi, iuxta Syficum castellum cum iisdem Persis sine audacia confixerunt, multis tunc militū duكتورibus de prælio fugientibus cæsis.

*Immenso*

Immenso dehinc auri pondere hostibus dato, captam rebúsque vacuam Amidam ciuitatem, iisdem nostri redemere ductores, Celere magistro officiorú sibi cum duobus millibus bellatorum in subsidium destinato.

IND. XII. *Cethego solo Cos.*

Interea Celer Magister officiorum per Callinicum Mesopotamiæ ciuitatem armatum ducens militem, ad deuastanda Persarum rura discurret, plurimos agrestes rusticis intentos laboribus more pecudum trucidat, pastores diuerforum pecorum cum numerosis iumentis abducit, castella latere lutóque constructa inuadit, vsque ad pontem ferreum, sic nomine dictum, cuncta vastando progreditur, omni que præda positus ad communia castra ditato milite remeat, aliquanta dehinc ob percutiendum fœdus cum Persis deliberat, misso ad se pro pepigendo fœdere Armonio à secretis.

IND. XIII. *Sabiniano & Theodoro Coss.*

Idem Sabinianus Sabiniani magni filius, ductor que militiæ, delegatus contra Mundonem Getam arma cõstruxit, x. millia armatorum sibi met adscitorú,

plaustraque armis atque com meatibus  
 onerata secum trahens, pugnaturus ac-  
 cessit. commissoque ad Horreo Margo  
 praelio, multis suorum militibus in hoc  
 conflictu perditis, & in Margo flumine  
 enecatis, amissis praeterea plaustris, in  
 castellum, quod Nato dicitur, cum pau-  
 cis fugit. tanta in hoc lamentabili bello  
 spes militum cecidit, vt quantum apud  
 mortales nequaquam potuerit reparari.  
 IND. XIII. *Arcoinda & Messala Coss.*

His Coss. Anastasij principis statua,  
 in eodem loco quo dudum Theodosij  
 magni steterat, super immanem colum-  
 nam in foro Tauri statuta est.

IND. XV. *Anastasio Aug. III. Coss.*

Seditio popularis in Circo facta est,  
 miles & armatus obstitit. Gradus Circi  
 septentrionalis sua cum fornice incen-  
 si collapsique sunt. Anastasio Caesare in  
 processibus commorante.

IND. I. *Celere & Venantio Coss.*

Romantis Comes Domesticorum,  
 & Rusticus Comes Scholariorum, cum  
 centum armatis nauibus, totidemque  
 dromonibus, octo millia militum arma-  
 torum secum ferentibus, ad deuastan-  
 da Italiae litora processerunt, & vsque

ad Tarentum antiquissimam ciuitatem aggressi sunt, remensōque mari inhonestam victoriam, quam piratico ausu Romani ex Romanis rapuerunt, Anastasio Cesari reportarunt.

IND. II. *Opportuno solo Cos.*

Orto Augusta vrbe incendio vtramque porticum à foro Constantini vsque ad Perdicæ tenuissimam statuam ignis in puluerem redegit. Portus Iuliani vndis suis rotalibus machinis prius exhaustus, cœnōque effosso, purgatus est.

IND. III. *Boetio solo Cos.*

Simulacrum æneum in foro Strategij super fornicem residens, & cornū copix fortunæ retinens incendio proflaminatum est, combustūque amisit brachium, quod tamen statuarij continuò solidarunt. Appius Patricius exulatus est. Constantinus olim Magister militiæ episcopus Laodiceæ ordinatus.

IND. IV. *Secundino & Felice Cos.*

Macedonius Augustæ vrbis episcopus, licet olim Anastasij Imperatoris dolis fallaciisque circumuentus, prauorum testimoniis eidem accusatus, quoniam tomum sanctorum Patrum apud Calchedonam sancta dudum subseri-

ptione roboratum, eidem principi dare distulit, ab eodem Euchaïta in exilium deputatus est. Locum Macedonij Timotheus meridiano tempore ab Anastasio Cæsare episcopus ordinatus inuasit.

IND. V. *Paulo & Melchiano Coss.*

Sæpe cælum à septentrionali plaga ardere visum est. Die dominico, dum iubente Anastasio Cæsare, per Marinum, perque Platonē in ecclesiæ pulpito consistentes, in hymnū Trinitatis Deipassianorum quaternitas additur, multi Orthodoxorū pristina voce psallentes, perfidosque præcones clamoribus obiurgantes, in eiusdem ecclesiæ gremio cæsi sunt, ductique in carcere perierūt: altera nihilominus die in atrio sancti Theodori maiori eæde Catholici pro fide vnica perculsi sunt. Quapropter commota Orthodoxorum agmina die sequenti, id est VIII. Idus Nouēb. (in quo die memoria cineris dudum totam Europā tegentis apud Byzantios celebratur) in forū Constantini vndiq. cōfluunt: quorum alij quidem, cæteris die noctūque hymnum Trinitatis Christo Deo psallentibus, totam peragrant ci-

uitatem, & Anastasij Cæsaris monastico habitu adsentatores ferro flâmisque interimunt: alij clauces portarum, omniâque signa militaria ad forum, quo religionis castra metati fuerant, deferunt; ibique Anastasio Cæsare in processibus degente, Arcobindam sibi imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde, statuisque Anastasij in terram deiectis, Celerem & Patricium Senatores, ad se supplicandi sibi vel fatisfaciendi gratia missos, iactis pluuiæ instar lapidibus repulerunt. domibus Marini & Pompei succensis. In circum ad Anastasium venientes, & ante suum solium consistentes, hymnum Trinitatis iuxta morem Catholicorum concinentes, coruscansque Euâgelium, crucemque Christi ferentes, è foro plurimi conuenerunt, Marinum, Platonemque prauitatis eius autores feris subiici conclamantes. Hos ciues idem Anastasius Cæsar solitis peruris, simulatisque vocibus, sese facturum cuncta promittens, tertio die quàm in forum aduenerant, sine vllò rerum effectu ad sua fœrit habitacula reducere. Porro redintegrata Anastasius prauitate, infamem & in-

dendam synedum apud Sidonem ciuitatem, cuius de nomine in ridiculis nomina proponuntur, LXXX. fermè perfidorum episcopis congregatis, aduersum Orthodoxorum episcopum, fieri imperauit. Flavianus Antiochiæ Catholicus Patriarcha, & Ioannes Paltensium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerant, in castellum quod Petra dicitur, exules missi sunt. Ibi Flavianus confessor Christi in Domino requieuit: Ioannem Iustinus Aug. mox Imperator factus est, reuocauit. Iisdem fermè temporibus solis defectus contigit. Gens Erulorum in terras atque ciuitates Romanorum iussu Anastasij Cæsaris introducta.

IND. VI. *Clementino & Probo Cess.*

Seuerus Eutychetis perfidiæ cultor, Anastasio Cæsare volente, sedem Flauianiantistitis ex monacho factus episcopus occupauit. Dorotheus Ancyræ ciuitatis ueterandus antistes, Anastasio principi propter vnicam Orthodoxorum fidem uigiter aduersarius, finem viuendi, quem sibi met misso contra se à Cæsare Magistrano ipse prædixerat, in dicto tempore fecit.

IND. XII. *Senatore solo Col.*

Vitalianus Scytha assumptis Romanorū equitū peditūmque plusquam X. millibus armatorū in triduo congregatorum, in locum qui Septimus dicitur, aduenit, ibiq. castra metatus est; dispositisque à mari in mare suorum ordinibus, ipse ad vsque portam, quæ aurea dicitur, sine ullius accessit dispendio; scilicet pro Orthodoxorum se fide, proque Macedonio vrbis episcopo, in casū ab Anastasio principe exulato, Constantinopolim accessisse asserens. Perire Anastasij simulationibus atque periculis per Theodorum internuncium intellectus atque illusus, octauo die quàm urbem accesserat, remeauit. Hinc Odessum Mœsiæ ciuitatē Vitalianus pernoctans astu ingressus est. Cyrillum lenocinantem magis, quàm strenuum militiæ ductorem, inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem, eumque abstractum mox cultro Getico iugulauit, hostēmque se Anastasio Cesari palam apertēque exhibuit.

IND. VIII. *Anthemio & Florentio p.*

Romanæ ecclesiæ L. Hormisda episcopus ordinatus vixit annos LX. LXX.

Vitalianus eidem Anastasio Imp. immannior factus est inimicus. præmissis quippe suorum equitibus, armatisque nauiculis sinistro sibi litore decurrentibus, ipse peditum armis stipatus Systhenesæ prædium ingressus est, totiusque loci palatium habuit mansionem. Missi sũt ad Vitalianum à Cæsare Senatores, qui pacis cum eo leges componerent. nonaginta auri pondo, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tũc accepit Hypatij, iam mille centum auri libris cum Vranio captiuo sibi à suis in Sozopoli oblati. Magister militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium, quem captiuum erat natumque apud Acres castellum tenebat, reuersus suo remisit auunculo. Ea tempestate Hunni Armenia transitũẽ totam Cappadociam deuastauerunt, Lycaoniam perrexerunt: Anno Inc. Augusta 1x. annis in palatio ex celsis viro decessit.

*Inc. D. 1x. Intro solo Cos.*

Mutata fide Anastasius Imp. Vitaliano succedit, eidemque Rufinum designat successorẽ. Helias Hierosolyritanæ vrbs episcopus in villa, quæ Haila dicitur, ab eodem principe relegatus

emoritur. Laurentiū præterea Lychnidensem, Domnionem Serdicensem, Alcissum Nicopolitanum, Gaianum Naifitanū, & Euangelum Pautalientē, Catholicos Illyrici sacerdotes, suis Anastasius præsentari iussit obtutibus. Alcissus, & Gaianus episcopi apud Byzantium vita defuncti sunt, vnoque sepulchro recōditi. Domnionem & Euangelum ad sedes proprias, ob metum Illyriciani Catholici militis, extemplo remissis, solus Laurētius Anastasium Imp. in palatio pro fide Catholica sæpe conuincens, apud Comitatum, ac si in exilio relegatus, retentus est, mobiliórque deinde corpore, quàm Constantinopolim aduenerat, effectus. Nam septimo infirmitatis suæ anno idem Laurentius fide sua, sed Christi gratia, in atrio Cosmæ & Damiani sanatus est, pedibúsque sistere propriis, gressibúsque meruit confirmari, suæque dein patriæ incolumis reddi, vbi maior octogenario requiescit.

IND. IX. *Anastasio & Agapito Coss.*

Olla illa quæ in Hieremia vate ab Aquilone aduersum nos nostraque delicta sæpe succenditur, tela ignita fabri-

cavit, maximamque partem Illyrici iisdem iaculis vulneravit. Duæ tunc Macedoniae, Thessaliæque vastata est, & usque Thermopylas, veteremque Epirum, Getæ equites deprædati sunt. Mille tunc librarum auri denarios per Paulum Anastasius Imperator pro redimendis Romanorum captivis, Ioanni Præfecto Illyrici misit. deficiente pretio, vel inclusi suis cum domunculis captivi Romani tenti sunt, vel pro muris clausurarum urbium trucidati.

IND. XI. *Magno solo Cos.*

In provincia Dardania assiduò terræmotu XXI V. castella vno momento collapsa sunt. Quorum duo suis cum habitatoribus demersa, quatuor dimidia ædificiorum suorum hominumque amissa parte destructa, vndecim tertia domorum, totidemque populi clade deiecta, septem quarta tectorum suorum, tantæque plebis parte depressa, vicina verò metu ruinarum despecta sūt. Scopus namque metropolis, licet sine civium suorum hostem fugientium clade, funditus tamen corruit. Vno in castello regionis Canisæ, quod Sarnunto dicitur, ruptis tunc terra venis, & ad instar torri-

dæ fornacis exæstuans, diutinū altrifecus feruentemq; imbrē euomuit. Plurimi totius prouinciæ montes hoc terræmotu scissi sunt, saxaque suis euulsa compagibus, deuolutaque arborum crepido per xxx. passuum millia patens, & in xii. pedum latitudinem dehiscens, profundam aliquantis voraginem ciuibus, castellorum saxorumque ruinas, vel adhuc hostium incurfiones fugientibus, iussa parauit. Anastasius Imp. subita morte præuentus maior octogenario periit: regnauit annos xxvii. menses ii. dies xxix.

IND. xii. *Iustino Aug. & Eutharico Coss.*

Iustinus à Senatu electus Imperator continuò ordinatus est. Amantius palatij Præpositus, Andreas, Misael, & Ardabur cubicularij, Manichæorum fautores, & Iustini Augusti deprehensi sunt proditores. Quorū duo, Amantius & Andreas, ferro trucidati sunt: Misael & Ardabur Serdicam in exilium missi. Theocritus Amantij factelles, quem idem Amantius Præpositus ad regnandum clam præparauerat, comprehensus, & in carcere saxi contusus ingentibus petiit, falsoque in gur-

gite iacuit, sepultura quoque cum imperio cui inhiarat caruit. Vitalianus Scytha Iustini principis pietate ad rempublicam reuocatus, Constantinopolim ingressus est, septimóque receptionis suæ die Magister militiæ ordinatus.

IND. XIII. *Vitaliano & Rustico Coss.*

Vitalianus Consul VII. mense consulatus sui XVI. vulneribus confossus, in palatio cum Celeriano & Paulo satellitibus suis interemptus est.

IND. XIII. *Iustiniano & Valerio Coss.*

Famosissimum hunc Consulatum Iustinianus Consul omnium Orientalium Consulatu profecto munificentior his liberalitatibus edidit. Nam CCLXXVIII. milia solidorum in populum, inque spectacula siue in spectaculorum machinam distributa, XX. leones, XXX. pardos, exceptis aliis feris, in amphitheatro simul exhibuit. Numerosos præterea phaleratósque in Circo caballos iam donatis quoque impertiuit aurigis, vna dumtaxat vltimaque mappa infamienti populo denegata.

IND. XV. *Symonacho & Boetio Coss.*

IND. I. *Maximo sólo Cos.*

Plerique lapidatorum, percussorum,

urbisque de populatorum, sua ob scele-  
ra deprehensi, ferro, igni, suspendiōq;  
expensi sunt, gratum bonis ciuibus spe-  
ctaculum exhibentes.

IND. II. *Iustino Aug. II. & Opilione Coss.*

His Consulibus inopia olei magnam  
penuriam in populum importauit.

IND. III. *Filoxeno & Probo Coss.*

Ioannes Romanæ ecclesiæ Papa L I.  
anno à Petro Apostolorum Pontificū-  
que præfule cccclxxv. sessionis eius,  
Theodorico rege pro Arrianorum suo-  
rum cæremoniis reparandis laborante,  
solus duntaxat Romanorum sibi deces-  
sorum, vrbe digressus Constantinopo-  
lim venit, miro honore susceptus est.  
Dexter dextrum ecclesiæ infedit soliū,  
diēq. Domini nostri resurrectionis ple-  
na voce Romanis precibus celebravit.

IND. IV. *Olybrio solo Cof.*

Totam Antiochiam Syriæ ciuitatem  
repens inter prandendum terræmotus  
inuasit. alioquin occiduam vrbis ma-  
gnamq. eius partem, sinistris mox ven-  
tis vndique flantibus, flammæque co-  
quinarū pro tempore æstuentes ruen-  
tia in ædificia miscentibus, duplex tor-  
ridūque exitium importauit. Eufra-

fium quoque totius vr̄bis episcopum  
adempto eius capite, combusto simul  
obruit sepulchro, obelisco Circi inuer-  
so, & humi defosso.

*IND. V. Mabertio solo Cos.*

Anno regie vr̄bis conditæ *cx c vii*.  
Iustinus imperator Iustinianum ex so-  
rore sua nepotem, iamdudum à se nobi-  
lissimum designatum, participẽ quoq.  
regni sui, successoremque creauit Cal.  
Aprilis. ipse verò quarto ab hoc mense  
vita decessit, anno imperij *ix*. mense *ii*.

*IND. VI. Iustiniano Aug. solo Cos.*

Anno regie vr̄bis conditæ *cx c viii*.  
regium vestibulum, priscumque in eo  
folium, ob aspicienda probandaque in  
Circo certamina structum, victor Iusti-  
nianus princeps, eminentius clariusque  
quàm fuerat, & vtramque Senatorum  
ex more spectantium porticum solita  
magnanimitate redintegravit, bonis  
quidem agitatoribus præmium, ignauis  
autem seueritatem innuens.

*IND. VII. Decio solo Cos.*

Parthis bella mouentibus arma Ro-  
manus parauit exercitus, finẽsque suos  
rebellans tutatus est. Hæc expeditio  
nostrorum pene per quinquennium re-

nuit, digressaq. Oriente Africam petit,  
contra Vandalos feliciter dimicatura.

IND. VIII. *Lampadio & Oreste Coss.*

Mundo Illyricianæ vtriusque militiæ  
ductor, dudum Getis Illyricum discursantibus primus omnium Romanorum  
ducum incubuit, eosque haud paucis  
ipforum interemptis fugavit. His autem  
deinde Coss. idem dux audaciæ  
sux secundus in Thraciam quoque aduolans,  
prædantes eam Bulgares feliciore pugna  
cecidit, quingentis eorum in prælio trucidatis.

IND. IX. *P. C. Lampadij & Orestis Coss.*

His Coss. Codex Iustinianus orbi  
promulgatus est.

IND. X. *item P. C. Lampadij & Orestis Coss.*

Hypatius, Pompeius, & Probus genere consobrini, Diuique Anastasij nepotes,  
imperium quod sibi singuli indigna ambitione exoptabant, Idibus Ianuariis,  
iam plerisque nobilium coniu-ratis, omnique seditiosorum turba armis  
donisque ministratis illecta, dolis inuadere tentauerunt, atque per quinque  
continuos dies urbem regiam rapinis, ferro, igneque per sceleratos ci-

ues, sine certo interrege discursantes, hostili impietate, ipsi se fideles reipublicæ in palatio dissimulantes, depulati sunt. Quinta verò huius infandi sceleris die, dum de foro Hypatius sceleratorum comitum manibus torqueredimitus aureo, & Pompeius comes eius sua sua veste loricatus, ad intradendum conscendunt palatium; uterque eorum ante fores palatij captus est, statimque piissimi principis nostri nutu catenatus, trucidatusque pœnas luit, & antè imperium perdidit, quàm haberet, innumeris passiva in Circo populis trucidatis, & tyrannorum fociis continuò proscriptis. Ecclesia tunc incensa mox cœpit ab eodem Augusto renouari.

IND. XI. *Iustiniano Aug. III. Cos.*

Post diuturnum immanèmq; laborem contra Medos Romanis gestum sudoribus, tandem per Rufinum patricium, perque Hermogenem Magistrum officiorum, vtrumque legatum à principe nostro missum, pax cum Parthis depacta est. Sponsionem percussi fœderis ab utroque Imperatore inuicem sibi munera in concordiam missa secuta sunt.

IND.

IND. XII. *Iustiniano Aug. IV. &*  
*Paulino Ciff.*

Prouincia Africa, quæ in diuisione orbis terrarum à plerisque in parte tertia posita est, volente Deo vindicata est. Carthago quoque ciuitas eius anno exgidionis suæ x c v i. pulsus deuictisq; Vvandalis, & Gelimero rege eorum capto, & Constantinopolim misso, quarto Iustiniani principis Consulatu ipsius moderatione recepta est, sua cū patria firmitus, quàm dudum fuerat, redintegrata. Quo tempore Theodahadus rex Gothorum Amalafuentham reginam creatricem suam de regno pulsam in Insula Iaci Bulfiniensis occidit. Cuius mortem Imperator Iustinianus vt doluit, sic & vltus est.

IND. XIII. *Belisario solo Cos.*

Postquam Carthago Libyæque suo cum rege Gelimero per Belisarium est subiugata, de Roma Italiaque deliberrat Imperator. iterumque expeditio, iterumque classis paratur, idemque ductor qui Consul eligitur, rectoque nauigio Siciliam properat, Catanam & Syracusas sine mora, immo omnes peruadit Trinacriam. Ibiq; comperiens quod in Africa ciuile bellum exoritur.

& miles in proprium ducem insurgit, cum paucis ad Africam tendit, Solomoni qui præerat subuenit: exercitum verò partim blandiendo, partim vlciscendo, inimicum tyrannum effugando, rei publicæ consultit vtilitati, remensòque nauigio Trinacriam redit. Agapitus Romanæ vrbis episcopus à Theodato rege Gothorum in legationem directus Cōstantinopolim venit. Tzitta Patricius in Mysia cum hoste Bulgarum congregiēns ad Iatrum superior inuenitur. Epiphanius episcopus regiæ Vrbis ante aduentum Romani præfulis moritur, cuius episcopatum cōtra canones Anthimus Trapezuntena ecclesia relicta inuadit.

*IND. XIV. Post Consulatum Belisarij.*

Ebremud Theodati gener relicto exercitu regio in Brutiis, ad Belisarium in Siciliam conuolauit. In Africa verò, Solomone itidem cum exercitu dissidente, Germanus succedit Solomonem remittens ad Principem. Belisarius Cāpaniam transiens Neapolim vastat. Gothorum exercitus Theodahadum regē habens suspectum, Vitigem in regnum adsciscit, qui mox in campo barbarico

regnum peruasir. Expeditione soluta Romam ingreditur, vbi iam Agapito Constantinopoli defuncto, Theodahadus rex Siluerium episcopatu subrogat. ibique residens dirigit Rauennam, Theodatum occidit, in loco qui dicitur Quintus, iuxta fluuium Santernum: & ipse subsequitur per Tusciam, omnes opes Theodati diripiens, quas in Insula, vel in Vrbe vetus congregauerat. Rauennamque ingressus Matuentiam neptem Theodorici sibi sociam in regno plus vi copulat, quam amore. Belisarius fauente Domino Romam ingreditur. Germanus in Africa feliciter administrat. Agapitus Constantinopolim, vt diximus, de Roma adueniens, Anthimum mox ecclesia pellit, dicens eum iuxta ecclesiasticam regulam adulterum, qui sua ecclesia dimissa ambierat alienam. in cuius locum Mennam presbyterum episcopum ordinauit: & ipse extremum diem obiit in Domino. in nullo tamen, sicut ei à Principe obiciebatur, sentiens contra fidem. Ipso namque anno ob nimiam siccitatem pastura in Perside denegata, circiter quindecim millia Saracenorum ab Alamundaro

cum Chabo & Hezido phylarchis limites Euphratesiæ ingressa sunt. Vbi Batzas dux eos partim blanditiis, partim distractione pacifica fouit, & inhiantes bellare repressit.

IND. XV. *Iterum P. C. Belisarij*

Vitiges Tyrannus exercitu aggregato Romam obsidet. cui tunc fauentem Papam Siluerium Belisarius ab episcopatu summouit, & loco eius Vigilium Diaconum ordinauit. Temporèq. longo Romam obsidente Vitige, Belisarius intus inedia vigiliisque laborans, auxilium ab Imperatore deposcit. Cui directi sunt Martinus & Valerianus, vterque Magister militiae. nec sic tamen Vitiges obsidionem reliquit. In Africa Germanus rebelliones milites cū Stotza Tyranno inter Maurorum deserta bellando effugat. In Oriente quoque Ioannes Cottitius arripiēs tyrannidem, antequam aduersi quicquam tentaret, Daras extinctus est. Ecclesia maior Constantinopoli ab Imperatore Iustiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die VI. Kalend. Ianuarias.

IND. I. *Ioanne solo Cos.*

Adhuc Vitige in obsidione Romæ

morante, Ioannes Magister militū cum Batza, Conone, Paulo, Remaque inlustribus, magnoque exercitu apparato, ad Italiam properant, castraque ad portum Romanum conlocant, laboranti Romæ subueniunt. Quorum aduētum Vitiges cernēs, trium mensium temporis cum Belisario pacta confirmat, suosque legatos ad Imperatorē transmittit. In qua pace Belisarius Campaniā redit, annonæ copiā Romæ inlaturus. reuersusq. Campania contrarium sibi de medio aufert Constantinum Patricium. Ioannes verò in portu quæ posuerat castra deferens, Samnitum regionem ingressus est, Aternòq; oppido expugnato, Tremonem Gothorum ducem cum suis prostermit: Ortonam quoq; similiter inuadit, Picenum deprædans Ariminum occupat. Quo audito Vitiges ab obsidione Urbis, in qua adhuc post turbatam pacem consistebat, relicta Roma, per Clodiæ aggerem, & annonariā Tusciam transit Apenninum, & in Rubiconis fluminis ripa castra metatus, Ariminum obsidet. Vnde proturbatus à Narsete de Constantinopoli, & à Belisario de Roma venientibus, fugit Ra-

uennam. Cuius nepos Oraio Mediolanum longa inedia deterit, Mundilam, Paulumque duces ibi positos cum suo milite obsidens. Narsete verò Arimino residente, Belisarius accedens Romam ad exhyemandum, deditione suscipit Vrbinum, & Vrbenvetus, & Insulam Iaci Bulfinensis.

IND. II. *Appione solo Cos.*

Narsetes reuertitur Constantinopolim. Belisarius obsidens Auximum septimo mense ingreditur, similiterque & Fesulam. Gothi Mediolanum ingressi muros diruunt, prædamque potiti omnes Romanos interficiunt. Mundilam, Paulumque duces abducunt Rauennam. Theudibertus Francorum Rex cum magno exercitu adueniens, Liguriam, totamque deprædat Æmiliam. Gennam oppidum in littore Tyrreni maris situm euertit, ac prædat. Exercitu dehinc suo morbo laborante, ut subueniat pacificens cum Belisario, ad Gallias reuertitur. Germanus de Africa Constantinopolim euocatur. Solomon ibi rursus dirigitur. Calluc Magister militum cum Gepidis primùm feliciter dimicans, secundo infeliciter ruit.

IND. III. *Iustino iun. solo Cef.*

Parthi in Syriam ingressi multas vrbes subuertunt. contra quos Germanus arma arripiens, Iustinum filium, eundemque Consulem, in ipsis fascibus secum ducit. Antiochia magna depraedata demolitur à Persis. Belisarius Rauennam ingreditur, regem Vitigem, & reginam, cunctasq; opes, Gothosque nobiliores tollens secum, ad Imperatorem reuertitur, euocante se Marcello Comite. Solomon in Africa feliciter dimicans rebelliones proturbat. Gothi trans Padum residentes, Oraio Vitigis nepote & Heldebadō ductantibus, Vitigem regem cum regina, opibusque palatij, necnon & Gothos audientes sedibus propriis pulsos, Orientemq; per Belisarium abductos, rebellare disponent, regem sibi statuentes Heldebadū. contra quē debellaturus Bessa patricius Placentiā à Rauenna conscendit, Cōstantino Rauennā de Dalmatiis, vt praefectus exercitui, ab Imperatore directo.

IND. IV. *Basilio solo Cef.*

Parthis persistentibus inimicis, Belisarius Orientis suscepit expeditionem, Germano regresso ad urbem regiam.

Gothi Heldibado occiso Erarium sibi ordinant regem. Solomon in Africa interficitur, Sergius loco eius dux succedit belli, moderatorque prouinciæ.

IND. V. *Post Consulatum Basilij.*

Milites clam Veronam ingressi, dum auaritia inhiante de præda concertant, à Gothis egredientibus de latebris cum suo dedecore ciuitate pelluntur. Gothi Erario rege occiso Totilam in regnum manciparunt. Qui malo Italiæ mox Padum transit, & ad Fauentiam Æmilix ciuitatem Romanorum exercitum superat, duces effugat, Cæsenam & Vrbinum, Montem feretris, & Petrapertusa occupat, huc illucq. discurrens deuastat Italiam. Rursus in annona Tuscia ad Mucellos per Ruderit, & Viliarid, Bledamque duces suos Romanū exercitū superat. Quo prælio Bessa patricius vulnerat<sup>o</sup> euadit: cæteri uero fugientes per quaque saluati sunt.

IND. VI. *Post Consulatum Basilij anno VI.*

Totila deuastat Campaniam, urbefque muratas euertēs, per suos Tiburim obsidet. Mortalitas magna Italiæ solum deuastat, Oriente iam & Illyrico perque attritis. In oriente Persis adhuc

tenentibus conflictum cum nostris, Sergius in Africa inquietatur à rebellionibus cum Stotza & Mauris.

IND. VII. P. C. *Basilij anno III.*

Totila obsidet Firmum & Asculum, inuasamque Neapolim desolat, & Tibur. Roma verò obsidetur à longe, in qua præerat Ioannes Magister militum. In Oriente Belisario constituto, exulatur Ioannes ex Consule ordinario, Patricius, atq. Præfectus prætorio, & domus eius datur Belisario.

IND. VIII. P. C. *Basilij anno IV.*

Totila Firmum & Asculum sub iuramento ingressus est: milite Romano cum rebus suis dimisso, crudelitatem suam in Romanos exercuit, eosque omnes nudat & necat. In Africa Ioannes intruens super tyrannum Stotzam, interimit eum, & ipse ab eius occiditur armigero. In qua tyrannide Ioannes quidam electus Stotzas iunior vocitatur. Belisarius de Oriente euocatus, in offensam periculumq. incurrens graue, & inuidiæ subiacēs, rursus remittitur ad Italiam. Qui veniens, Romam dirigit Bessam, Ioannem mittit ad Imperatorem. Totilas vastato Piceno, pugnant-

que ad Auximum vincit. Indéque discurrrens per Tusciam, Spoletium destruit, & Agisium, Clusiumque oppida tenuit, & obsidet Perusiam.

IND. IX. P. C. *Basilij anno v.*

Vigilius Papa LIX. ab Apostolo Petro euocatus ab Imperatore roma egreditur, & in Siciliam venit. Totila occupata Lucania & Brutiis Neapolim subuertit, Romam obsidet. De Africa Sergius euocatur, & Areobindas nepte Imperatoris accepta, ibi iudex dirigitur. In Oriéte cum Parthis fœdus initur per Constantianum Magistrum militiæ, & exercitus reuertitur Constâtinopolim.

IND. X. P. C. *Basilij vi.*

Gothi legationem mittunt ad Imperatorem per episcopum ciuitatis Afisinatium, nomine Auentium. Ioannes Magister militum ad Italiam properat. Belisarius à Rauenna egressus venit Dyrrachium. indéque directo Ioanne Calabria, ipse per Siciliã Romam perrexit. Papa Vigilius ingressus est Cōstâtinopolim VIII. Kal. Febr. Totila dolo Isaurorum ingreditur Romã die XVI. Kal. Ianuarias, ac euertit muros, domos aliquantas igni cōburens, ac omnes Ro-

manorum res in prædam accepit. hos ipsos Romanos in Campaniã captiuos abduxit. Postquam deuastationem, XL. aut amplius dies Roma fuit ita desolata, vt nemo ibi hominum, nisi bestix morarentur. Hinc veniens Belisarius murorum partem restaurat, venientẽque Totila ad pugnam resistit. Eodemque anno de Africa neptis Imperatoris reuertitur vidua, occiso Areobinda à Gunthario Tyranno, qui cum Stotza iuniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes vtrosq. comprehensos Guntharium occidit, Ioannem idem Stotzam iuniorem vinctum transmittit ad principem. Post aliquãtos dies mittitur in Africã Ioannes, & Artabanes euocatus præsentale accepit Magisteriũ.

IND. XI. P. C. *Basilij* VII.

Ioannes Magister militum in Campania prædans Gothos, nonnullos liberat Senatores. qui postea patitur nocturnum Totilæ superuentum Bulgærum suorum proditione. \* \* \*

IND. XII. P. C. *Basilij* VIII.

IND. XIII. P. C. *Basilij* IX.

IND. XIV. P. C. *Basilij* X.

His temporibus in Africa Mauri per

Ioannem Patricium domiti sunt.

IND. XV. P. C. *Basilij XI.*

Hoc tempore Iustinianus Augustus Narsen eunuchum Chartularium & Cubicularium suum principem militiæ fecit, & in Italiam misit. Qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiã Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc tempora, cùm Buccelinus Comes cum sociis à Theodeberto rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliãmq. infestaret, & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus eius profluvio ventris attritus, à Narse pugna victus & profligatus, ipse Dux occisus est. Nec multò post socius eius Omnirugus dux cum reliquis Gothorum quibus se iunxit, peremptus est.

IND. I. P. C. *Basilij V. C. XII.*

Theodebaldus Francorum rex moritur, & regnum eius vxorẽmq. Vanderadã Hlotarius rex patris eius Theodeberti patruus accepit, qui iam XLIV. annis regnabat. Quo ipso anno Hlotarius ipse Saxones rebellantes iuxta Vviferam fluvium magna cæde domuit, &

Thuringiam peruasam deuasit.

IND. II. P. C. *Basilij V. C. XIII.*

Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & à Narſe de exilio relaxatus, cùm Romam redire cœpiſſet, in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit: móxque Romam perlatus apud S. Marcellum in via Salaria ſepultus eſt. Pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. ſedit annis XI. menſibus X. Qui à populo Romano factionis contra Vigilium inculatus, celebratis vna cum Narſe litanis, apud S. Petrum ambone aſcenſo, Euangelióque ſuper caput ſuum poſito, iuramento ſe crimine purgavit.

IND. III. P. C. *Basilij V. C. XIV.*

Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cùm ab eo peterentur hoſtiliter, eique pro ſatiſfactione dimidium rerum ſuarum offerrent, idq. exercitus Francorum reſutans eo inuito pugnaſſet, magna ab eis cæde protritrus fugæ præſidium petiit.

IND. IV. P. C. *Basilij V. C. XV.*

His diebus Hramnus patri ſuo Hlotario, annuente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum ſeditione perturbat. Saxones factione Hildeber-

ti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

IND. V. P. C. *Basilij V. C. XVI.*

In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur. Hildebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisius in Basilica S. Vincentij à se constructa sepelitur, regnumque eius frater Hlotarius assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

IND. VI. P. C. *Basilij V. C. XVII.*

Hramnus patrem Hlotarium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conoboro rege pugnavit & captus, cum vxore & filiabus viuus incensus est. Quo etiam tempore Turonis basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur.

IND. VII. P. C. *Basilij V. C. XVIII.*

IND. VIII. P. C. *Basilij V. C. XIX.*

IND. IX. P. C. *Basilij V. C. XX.*

IND. X. P. C. *Basilij V. C. XXI.*

IND. XI. P. C. *Basilij V. C. XXII.*

IND. XII. P. C. *Basilij V. C. XXIII.*

IND. XIII. P. C. *Basilij V. C. XXIV.*

IND. XIV. P. C. *Basilij V. C. XXV.*

FINIS.



